

086

084

090

die. Est enim avis funesta, et semper sinistri augurii, et mali
venturi nuntia. Unde Ovidius L. V. Metamorph.

Foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Dicunt enim, quod dum apparet et vociferatur, prae sagium
sit mortis. Ideo secundum poetarum dicta Ascalaphus ex Ache-
ronte et Nympha sub undis genitus mutatus (**101 a**) est a
Cerere in bubonem, eo quod Proserpinam tria grana mali punici
gustasse de viridario Plutonis apud inferos prodidit, propter quod
Proserpina non ex toto Plutoni, qui eam rupuerat, oblata fuit.
Sed et Jupiter cantum bubonis horruit, ideo cornicem a laeva,
et corvum ad dextram suam canere fecit, quia corvus est aptis-
simus ad auguria, et praetendit felix augurium, cornix vero in-
felix, si a dextris est, similiter corvus, si ad sinistram cro-
citat; bubo autem, a quacumque parte se teneat, infelix nuntia
est. Contra haec disputat Augustinus Lib. IV. de Civitate Dei,
cap. 30. An autem bubo praesenserit mortem peregrini praec-
stantioris, qui statim de post obiit, dicere non audeo, mortem
tamen ejus bubulationem consecutam scio, nequaquam tamen
causam mortis clamorem bubonis fuisse credo.

Cum autem dies factus esset, sollicitavimus Tanguardinum,
ut litteram promissam libertatis nobis afferet citius, incepimus enim
longas habere horas et taedium, et habitatio nostra inter infideles
nimis protrahebatur et vehementissime timuimus recessum navium
ab Alexandria sine nobis. Idcirco unum de militibus tertiae
societatis petivimus, ut cum negotiatoribus Christianis, qui de-
scendere parati erant, Alexandriam descenderet et ibi hospitium
pro nobis disponeret et de recessu navium, si necesse foret, nos
per nuntium avisaret. Haec autem occulte practicavimus cum milite
socio nostro et negotiatoribus, et nihil Tanguardino diximus, do-
lositatem enim suam intelligere incepimus, et timuimus, quod forte
studiose eductionem nostram protraheret, ut naves negligemus
et per hiemem in manibus ejus essemus. Post meridiem ergo
venerunt duo Mauri cum asinis, ut tollerent militem cum sua
suppellectili et in balacrum ducerent ad Nili portum, in quo
stabat navis pro descensu ejus et mercatorum parata. Dum ergo
miles sacculos suos aptaret, imponens asinis, et jam paratus exire
vellet, non potuit, quia portae serratae erant, et nullus de familia

585

Ende

Anfang

